

ille : Neque enim juvat cetera persequi ad Resurrectionis rationem , & postremum Christi Adventum ; Judiciumque spectantia , quæ is ad examen adducit . Id mihi dumtaxat considerandum nunc venit , quod ad Statum Mortuorum pertinet , antequam Corporibus Resurreccio per imperium Dei novissimo die contingat .

Et miror quidem , simul etiam doleo , homines reperiiri , qui quam Chrifti religionem professi , atque ad ejus tutelam , dignitatemque amplificandam suo instituto obstridi , nihil tamen non agere videantur , ut ipsam nostris temporibus enervent , ne dicam evertant . Atque hoc præstitum a Burneto quisque pius facile intelligat , immo & ipse intellexisse non injuria credendus est , quando vivens Librum suum in lucem efferre non est ausus ; Britannicæ profecto gentis judicium atque odium veritus , quam melius sapere in hocce arguento omnes norunt . Verum ita sibi viventi cavit Burnetus , ut tamen parato veneno erumpendi post mortem suam locum consulto fecerit , aut lubens reliquerit . Abiit ille : quam spem secum tulerit , ignotum est , notissimum vero , non defuisse , qui eo e vivis sublato , tandem Libro nocte tantum digno compedes eripuerunt , eumque libera luce frui jussérunt . Qui si , æque ac illius Aucto , male mereri de Christiana Religione in animum induxerunt , voti fui , quantum in ipsis est , compotes fuere , sed proborum indignationem vel apud ipsos Britannos incurrisse mihi persuadeo . Nam ubi statuas , ad Cœli gloriam , atque ad Inferorum poenas , aditum nulli hominum haec tenus fuisse datum , neque dandum , quoisque mortuos e tumulis exicit Angelica tuba : necesse est , languore nimiam incipiatur in mortalium cordibus Christianæ Religionis saluberrimum studium & amor , mirimque in modum turbetur haec tenus creditum disserimen præmii & poenæ ab ea constitutum inter Bonos & Malos . Immortalitatem utique Animæ fatetur Burnetus , neque Præmii Spem , Metumve Poenæ tollit , at hæc ille ita extenuat , ut quid sperandum sit , quidve timendum deinceps , vix ullus agnoscat . Jam anni fluxerunt Mille & Septingenti , ex quo divinus Magister æternam in Cœlis Vitam Iustis pollicitus fuit . Si Burnetum auscultamus , nondom ille fidem solvit , omniumque Spem frustratus est ; clausa adhuc est celestis aula janua ; & tot millia millium in Domino mortuorum , mercedem adhuc expectant , vili Somno ac torpori : nullique operationi addicta . Quandonam vita hujus post mortem corporis , quam vitam nescio quei appelles , erit finis ? Idem qui & Mundi . At quando postrema hæc dies Mundo illocescit ? De Die illa & hora nemo scit , neque Angeli Cælorum , nisi filius Pater , Matth . XXIV . 36 . Fieri autem potest , ut nonnisi post complures , immo plurimas annorum myriades , humanarum rerum casus adveniat . Quo ergo Justorum spes abierit , atque abire in posterum possit , jam videt . Et quei , quæso , posita adeo enormi dilatione Retributionis , se quisquam Martirio objiciat , fortique & alacri animo vitam det pro Christo ? Primis